



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXIX. Illicitus pluralitas vxorum in quantas tricas conijciat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

ad se veniret? sed quis, apud barbaros, immo apud hostes tam fidelis est, quis eum laborem sumit, vt litteras perferat? Frustra ad litteras prouocamus, cum eæ haberi non possunt. At miles auditus est, qui diceret, se putare mortuum esse Sempronium in bello? Credisne tu, vxor, tu Confessarie, immo tu Paroche, quod miles putat? & miles talis, cui vel iuranti fides non esset adhibenda? Vt ergo fas sit alteri nubere, necesse est, vt de morte prioris coniugis moralis sit certitudo; de qua debent viri docti atque sapientes æstimare, num scilicet omne, prudens dubium excludat. Certè pro primo coniuge stat confessio, ac præsumtio, quam non decet per argumenta solum probabilia elidi. Hæc si attendantur, tunc matrimonio aderit protector Deus. Quia polygamia à diluuiò vsque ad Euangelium concessa reuocata est, vt non fas sit vnà plures ducere, juxta illud: *Erunt duo in carne vna.*

Præpos. q. 7.
n. 163. Bona-
cina q. 3. p. 10.
n. 12. Sanch.
l. 2. d. 46. n. 7.
Match. 19.

C A P V T. XXIX.

*Illicita pluralitas vxorum in quantas tricas
conijciat?*



Varundam mulierum, aut etiam virorum tanta, non jam ignorantia, verùm etiam nequitia est, vt, nullà sacramenti reuerentia, nullà sponsionis fide, nullà Numinis irâ aspectâ; non tantùm coniuges, sed ipsa etiam coniugia mutent. Ea nimirum est nonnullorum leuitas, vt toties illis noua placeant matrimonia, quoties nouus placet maritus, aut noua vxor. Dummodo magistratus nesciat, nihil pensi habent, quid conscientia lætret. Cererem & Venerem, hæc sola duo idola, aduenerantur. Satis illis est, vt comedant & ludant. Quoties igitur prioris coniugis sarietas est, cogitant, qua via ab eo discedant: & satis magna diuortij causa est, displicuisse. Si læsit pars altera, ab altera fuga circumspicitur, & titulus inquiritur, vt nec sponsus, nec consponsus obstructus videatur. Ad hoc nulla non janua, nulla non rima tentatur. Fingunt, consulunt, mentiuntur, vt impedimenta obtendant, vt connubia dirimant. Iam se aiunt violentè in eum statum coniectos;

I.

Sanch. l. 4. d.
14. n. 1.

Y y

animo

animo nunquam consensisse; cum tamen *matrimonium sit mutuum contrahentium consensus*; ac proinde non coniungat, quò inuitos coniungit; & fictus consensus sit, in foro conscientie nullus. Quare, tametsi in foro externo, juxta præsumptionem & verba data, procedatur; tamen, ut malitiæ suæ mantelum oppendant, Confessario dicunt, se seriam voluntatem non habuisse. Aliàs aiunt, se ebrios fuisse, cum anulum darent, inter choreas, & ad matrimonium ineundum se obligarent; aut personam, cum qua contraxerant, non sciuisse, quæ esset; adeoque voluntatem rem incognitam non appetiisse. Siquidem *errantis nullus est consensus*. Quid dicam de ijs, quæ viros ut frigidos, aut nimis calidos, aut maleficio vinctos falso accusant? Multa talia inquirunt à doctis coniugij impedimenta, & obices, quæ cuperent impediri, aut qui aliam habere vxorem malent, quàm suam. Ut enim viam sibi faciunt ad illicita, ea quæ verè impediunt, sibi adesse fingunt, *ad excusandas excusationes in peccatis*: Sic Domino concordiam amanti repugnant feruifit, quod Deus coniunxit, homo audet separare: sic color quæritur, ne causa deesse videatur.

II.

Quin sunt viri feminæque, qui, nullo prætextu quæsitæ coniuges mutant, sicut chartas luforias; & quoties in alias terras migrant, alios quærunto tori consortes. A diluuiio ad Christum vsque haud illicitam fuisse polygamiã ostendunt exempla virorum, in diuinis litteris, laudatorum. Abraham Sarã habuit, & Agar. Iacob Liam & Rachel, Balaam & Zelpham. Helcana Annam & Phenennam. Moyses Mariam & Æthiopiã. Quin & Esther Assuero nupsit, jam antè pluribus coniugijs implicito. Nimirum, ob communem humani generis multiplicationem; id concedebatur viris quidem, non autem feminis, ne proles confusione seeminũ destrueretur, aut inextincto patre à nemine curaretur, multarum uic causa esset discordiarum. Nunc autem ne viris quidem conceditur; vti nequit à primo instituti matrimonij tempore, vsque ad diluuium, concessum fuisse, ex eo apparet, quòd nemo tunc, præter impium Lamech, legatur simul plures vxores habuisse; juxta illud: *Erant duo in carne vna*, Tametsi enim etiam tunc, & quidem maxime

Sanch. lib. 2.
disp. 34. lib. 7.
disp. 18. lib. 15,
de iurisdic.
omnium iudicium. l. 8.
& 9. c. de iurisd. & pact. ignorantia.
Reg. 117. ff. de reg. juris.

Gen. 6.
Gen. 29. & 30.
1. Reg. 1.

Sanch. lib. 7.
disp. 80. n. 15.

Gen. 4.
Gen. 2.

necessaria erat hominum multiplicatio, alia tamen ratione consuebatur illi, per longam hominum vitam, qua efficiebatur, ut ab eodem progenitore videri possent *Et nati natorum, & qui* ab illis nascerentur. Poterat enim utique vnus sexcentis, septingentis, nongentis annis, plures gignere; quàm cum hominum senectus octoginta annis circumscriberetur. Quod autem tunc longæua ætas; quod à diluuiò vxorum pluralitas faciebat; iam compensat ipsa mortalium multitudo: aiuntque nonnulli Doctores, positiuâ Matrimonij institutione supposita, iuri naturæ polygamiã repugnare, neque in vllius potestate esse; ut plures simul ducat vxores: eò quòd contractus circa rē, in quam neuter contrahens jus habet, iure naturæ sit nullus. Hinc inter dirimentia Matrimonij impedimenta numerantur *Ligamen*, seu *vinculum matrimoniale*, quo uterq; coniux alteri sic *alligatus est, ut, eo superstite, cum alio validè contrahere non possit.* Qua de caussa & Paulus scribit, mulierem, *quæ sub viro est*, esse *legi alligatam.* Hoc jus naturæ, quia positiuam Dei legem supponit, ab Ethnicis potuit ignorari: potuitque, in eo, mutatâ materiã, per submotionem circumstantiæ, malitiã in rem alioqui honestam, aut indifferentem refundentis, Deus improprie dispensare, quod & fecit ad tempus; nempe à diluuiò, vsque ad Euangelium. Nunc autem non dispensat. Dispensat tamen scelerata hominum audacia, ob hoc ipsum digna venire in mille Labyrinthos. E quibus tamen ipsis, quàm clementer eos benignum Numen educat, si respiscant, accipe historiam, quam eximius ille SS. Theologiæ Doctor & Professor, qui, tempore Concilij Constantiensis & Basiliensis, floruit, his ipsis verbis memorat, præfatione illa præmissâ: *Rem gestam, infra octo annorum spacia, me teste noueris.*

Est in diœcesi Basiliensi hodie femina Deo deuota, pauperibus larga, quia plena operibus misericordia, secundum saculum non infamis status, sed cuidam viro iuncta matrimonialiter modis iam dicendis. Hac, quia pulchra fuit, in suæ iuuentutis tempore, & sub nullius regimine, ab multorum virorum astutis, velut ab vrsis formica deuorata est: nam ultra, quàm credi potest, miserabiliter animam perdidit, diuersis & incompatilibus matrimonij contractibus, præpedi-

Xy 2 ente

Matth. 19. 8.
de diuortijs
c. 3. de sponsa
duorum &
Trid. sess. 24.
can. 2.

Sanchi l. 7. d.
7. n. 8. Bonac.
q. 3. p. 13. n. 3.
Con. d. 26.
n. 25. contr.
Val. d. 10.
q. 1. p. 3.

Rom. 7.

III.
Ioan. Nyder.
lib. 2. Formi-
carij c. 3.

ente iuuenili infania. Diu hanc latuit, quot laqueis compedita iace-
 ret in potestate diaboli, reti eiusdem inuoluta, tandem tamen, ex ope-
 ribus, credo, misericordia, quibus semper insistebat, illuminata est ali-
 qualiter, circa annum aetatis sua tricesimum sextum. Me autem
 predicante, in praedicta dioecesi, consilij gratia ad me venit, post multos
 quos praconsultos habuerat, qui, ut expertus sum, animam feminae
 fatuis consilijs non iuuabant, sed potius interemerant vel neglexe-
 rant. Cumq; fletu tanto inundaret, ut Magdalenam alteram crede-
 disses, nisi quòd ad pedes peccatoris non procidit, & ego, quid habere
 tristitia, ab ea quarerem, tandem subjunxit. Pater, ego peccatrix pe-
 rata penitere, omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor
 viros habui, & quem nunc habeo, non est meus, cum his omnibus per
 verba de presenti contraxi, & ex his viuentes tres hodie supersunt.
 Quibus auditis, satis obstupui, sciens quòd talibus perplexit atibus sum-
 mam oportet dare operam, si enodare quis quempiam velit. Vnde,
 inuestigata diligenter causa, quam prius nesciueram, didici, quòd de
 omnibus viuentibus difficultas aderat. Nam de mortuo, si quòd fuit
 ligamentum, illud cum vite termino solutum erat. Primum enim
 virum, ex viuentibus percepi, antea cum quadam contraxisse, licet
 clandestinè, & ita in foro conscientiae ab eodem liberam esse. Cum se-
 cundo clandestinè etiam contraxerat, & consummatum fuit matri-
 monium carnali opere, sed ipsa hoc perjurio negante, coram iudice ec-
 clesiastico, diuortata est ab ipso viro secundo. Cum tertio verò pos-
 modum contraxit in facie ecclesiae, cum quo iam domicilium habitum
 & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, ut anima adde-
 tera salua fieret, anxius valde fui. Erant enim ambo viri animosi ad
 arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam priuati
 & iuxta communem exislimationem, in conscientijs valde lati. Vnde
 vidi, quòd quamuis iure fori femina uxor esset tertij, non tamen iure
 poli, sed tantum secundi, à quo, periurio mediante ipsa diuortata re-
 titit. Et, quodcunque iuberem, videlicet, manere cum tertio, vel
 redire ad secundum, aut ab utroq; se secernere, in foribus semper ade-
 rat ex vna parte aut verisimile homicidium, aut alterius mortalis
 criminis periculum. Nam si iubere volui reditum ad secundum, se-
 quebatur hac inconuenientia verisimiliter, videlicet, primò quòd Ze-
 lotypia motus tertius secundum, via facti, innaderet & occideret. Se-
 cundo

cundò quod femina cum secundo manere nequirit, quia diuortij celebratio obstitit facta in iudicio ecclesia. Quamobrem omni jure humano eam tertius à secundo obtinere poterat, immò excommunicare. Tertio, vita femine sic fuisset in periculo utring, dum ille tanquam perjuram; vel iste velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamia super facto juramento, quod perjurium esse nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat, quod, propter contractum clandestinum, probare, contra eam, non potuit, nec femina crederetur verbis, si sese in hoc infamaret. Si deniq, ex aduerso feminam sinebam manere cù tertio, sequebantur mala anima in ipsa deteriora, quia quotiens à viro tertio cognoscebatur, totiens adulterium commisit, non suo marito in hoc obediendo, quanquam ipse hoc exigere posset, quem perjurium putata vxoris latebat, non autem ipsa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, ut cum tertio velut soror eius casta maneret, hoc quidem ipsa paratissimo subijisset animo, sed ipse velut incontinens jure exigendi debitum nullatenus carere voluisset, prout ex multis conjecturis videre poteram. Porro si mediam viam, femina consulere volui, videlicet, recessum ab utroq, tam habitatio-
ne, quam thoro, pericula multa intuebar obuiare, quia si posita esset in monasterio, tunc nulla prudentes eam ad professionem recipere debebant, viro viuente inuito. Si verò extra monasterium latentiam ei consulere volui, quod plus mihi placere cepit, ut animam saltem saluare posset, terrebat me; quòd pulchra facie & sexu fragili vix tuta castitate, maneret, vel quòd tertius zelotypia motus fugientem letaliter inuaderet. Nescit enim iste femineus sexus se, sicut masculinus, calare vel tueri. Quid igitur assertiuè consulerem ad presens non habui, nisi quòd penitenti respondi, eam consolando, ut Deum, sine intermissione, pro sua liberatione inuocaret, eleemosynas pauperibus (quia lucrosa valde fuit) pro se, & pro tertio viro, erogaret, & quid sibi consulerem deliberatior factus, & similiter alij prudentes viri, parato animo, omnino susciperet. Ad que verba cōsolata aliquantisper abscesit. Interea libros consului, quibus me iuuare non potui. Deinde Nurenbergam veniens plures diuini & humani juris Doctores simul collectos caussa consilij adij, quibus paratum animum femine, & laqueos, quibus perplexa esset, patefeci: sed responsum nullum habere potui decisuum, propter pericula, qua hinc inde adesse videbant, qua-

Ty 3 cung₃

cung, via attentata. Postremò tamen sancta memoria Abbas sancti
 Andie beati Benedicti ordinis, magister Henricus, qui in saculo Do-
 ctor iuris existens & mundum paulò ante reliquerat, ob reforman-
 nis nouello opus factum, in dicto monasterio, Bono, inquit ad me, esur-
 animo. Si femina tam boni est propositi, & adeò pia in pauperes, ac de-
 tata donis, qua de ea dixistis, mihi credite ipsam Deus illuminabit, ut
 videat quid faciendo in statum ponatur salutis. Redij interea ad fe-
 minam, & vltimum modum fuga supra tactum sibi suasi. Ad quem
 cum se prepararet, de quo tamen mihi periculum non modicum cor-
 poris, & sibi maius, & fortè alijs imminere poterat, affuit diuina gra-
 tia, qua questionis difficillima solutionem dedit facillimam. Sibi cum
 incidit, ut quotiescung, vir tertius debitum exigeret, ipsa se per huius-
 modi obedientiam, lethalem infirmitatem contrahere fingeret, & ne
 id mendacium esset, ad animam infirmitatem hoc mente-tenuis apud se
 retorqueret, ex qua infirmitate anime, scilicet per mortale crimen,
 certum est, secundum nostram fidem, quemq, ne dum anima, sed
 etiam corporis perpetuam mortem subire. Ita fecit, ut cogitauit, &
 diuina arridente gratia, vir prius incontinens femina compati coepit,
 quam in alijs veracem saepe esse didicerat, & vsq, modo iam annis plo-
 rimis eam tantummodo ut sororem habet intractam, nec de adulterio
 viri quicquam aliunde male audiui. Audiens ego hanc castissima
 nouam & piam delusionem, atq, raram practicam, letus ita fieri per-
 misi, ex qua nulla iam sequebantur incòuenientia; quin immò virum,
 quem tanquam vrsu prius habuit, iam velut onem Ioseph in capti-
 tatem deduxit.

IV.

His ita narratis, Piger, cum quo, super formica, dialogum
 instituit supradictus Author, subiunxit: Cur laudare audeo fe-
 minam, in eo, quo mendacium dixisse videtur, & fide ambulasti?
 Cum enim factus plures à viro prahabuerit, & obediens ei non lectu-
 liter vexaretur, mendacij rea sui videtur. Ad hæc respondet Theo-
 logus. Verba femina veritatem continebant, & sonabant, non tamen
 ad cuiuslibet hominis intellectum. Certum enim fuit, quòd obediens
 utriusque hominis mortem incurrere meruit, primum anime, per
 adulterium; & corporis pariter & anime, post fixale iudicium, per-
 petuam mortem habuisset. Nec semper mendacium quis loquitur,
 cum ab eo veritas aliqua obtinetur: nec fictio quæuis mendacio cau-
 quam.

quatur. Et quid si scriptura sacra obsterices laudat Hebraeorum de zelo clementia, quem in Deicolis habuerunt? non infalitates, quas expresserunt? Ita & haec femina plurimum est commendanda, quae diu noctuq; extra torum constituta legitimum, sed in eadem domo, cum viro alieno habitans, tantum Dei preceptum in adulterio transgredi metuebat, ut viri induta animo, usq; modo, multis annis iam vitam castam ducat.

Esse viam emergendi ex hoc etiam barathro, quamvis profundo, & in speciem ineluctabili, testata est, in hac historia, diuina bonitas. Sed patuit etiam, in quas sese tricas, & in quanta pericula conijciant; qui coniugij iugum periurè, vel alia arte, excutiunt. Transseunt enim de vrticis in spinas; & dum arundinem vitant, incurrunt in lanceas. Eiuscemodi enim sepes opposuit Deus, ne matrimonia obuiolarentur; qui vltor est Sacramenti iniuria affecti. Nam, si superueniens maritus ait S. Cyprianus, sponsam suam iacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per zeli dolorem fortassis & gladium in manum sumit? Quid Christus Dominus & iudex noster? Vtique inultos non relinquet sacramenti à se instituti destructores. Aiunt Prometheus olim, Saturni lege, perpetuis vinculis ab Ioue damnatum, sed ea conditione statim liberatum, ut anulum ex lapide ferroque gestaret, ne omnino à pœna videretur liber. Per anulum catena annulis constans significabatur. Hac etiam de causa triplex vinculum indicatur triplici vsu annulorum. Annulus enim sigillarius est custodiae index; annulus honorarius monet gestantem dignitate obligatum. Annulus autem pronubus, seu nuptialis sponsalium obstringit coniuges vincosque tenet, ne habeant, aliò cogitandi libertatem. Et debet vtrique coniugum coniugum alter æquè charus esse, ac Samio illi Polycrati dilectus fuit annulus inclusum habens ingentis precij smaragdum: qui in mare abiectus capto relatus est pisce. Nempe vult & sponsalem anulum DEVS, non abijci, sed apud primum dominum dominamue permanere. Est enim matrimonium plus, quàm Vlyssæius nodus. Hinc etfi Xenophon rectè tradat, annulo nuptiali vxori dato, significari custodiam rerum domesticarum ad illam pertinere; obseruat tamen

Exod. 1.

v.

S. Cyprianus
epist. ad
Pompon.

Herodot. 1. 3.

Lud. Cæl. 1. 4.
Antiq. lect.
c. 3. 12. 1. 4. &
Pier, Val. 1. 41.

tamen

tamen Cælius & alij à priscis Christianis sponsalem annulæ arrhæ nomine datum signo fidei insculptum, hoc est, iugum inter se manuum dextrarum. Hoc enim est hieroglyphicum fœderis, & concordia mutua, apud omnes pænè gentes, atque ex ea coniunctione numerus quadratus efficitur, hoc est, denarius, qui à Pythagora dicebatur prima quadratura, hoc est, perfecta consensus animorum.

CAPUT XXX.

Cur Deus matrimoniorum author & custos, tam multos maritos, aut tam multas uxores malas esse permittat? & quænam sint contra malas mulieres remedia?

I.

QUoniam matrimonia & à natura, & à DEO, atque ea propter bona sint, ac ab ipso naturæ authore & concilientur tam prouidè, & tam mirificè conseruentur, cur in eo tot mala permittuntur esse admixta? quo istud iudicio facit Deus? Siquidem ea mala, neque ipse laudator matrimonij Paulus Apostolus dissimulans scripsit: *Alligatus es uxori, noli querere solutionem. Solutus es ab uxore, noli querere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et, si nupserit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Cur tribulationem? Ad hanc quætionem generalem, generalis primùm danda est responsio. Postea ad peculiaria mala, etiam peculiariter atque ordine respondebitur.

1. Cor. 7. 27.

II.

In primis igitur, quando vniuersim quæritur, cur mala statui bono admisceantur, vniuersim respondetur, id fieri easdem ob causas, ob quas homines cuncti, & omnis mortalium status mala multa cogitur sustinere. Cur enim à tribulatione coniuges exempti essent, si non sunt exempti Religiosi, & Deo ex toto addicti? 2. Sicut mala arbor malos fert fructus, ita peccatum, quo nihil est peius, mala Mundo inuexit. Peccator enim Adæ dictum est: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comediisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ.* Sp

Gen. 3. 17.